

poni, omnis autem terminus, ubiunque ille sit, pro re, quam significat, ponitur, vel pro conceptu suo mentali, sive substantivum sit, sive adjectivum, sive secundum temporis differentiam verbo importatam sumatur, sive non: sive propositio vera sit sive falsa, ut in hac: Adam est Adam: Adam hic pro re, quem significat, ponitur, pro primo, puta, homine. Ergo supponitur, licet non pro differentia temporis praesentis, per verbum est importata, accipiatur.

a) Mendozæ Summul. Disput. II. de Suppos. sect. I. §. 2.

Fonsecæ.

§. XV. Sed ad alias definitiones delabamur. Fonsecæ

a) Suppositionem, ait, esse acceptationem pro re, quam significat. Intelligit autem terminum substantivum, æquè atque adjectivum, loco rei verò quamcunque rem significatam, sive vera sit, sive ficta, sive existat, sive non existat. Significandi etiam verbum latissimè accipit. Suppositio, inquit, est acceptio nominis pro re, quam nomen quomodocunque significat, sive eam significet propriè, ut Leo Leonem, sive impropriè, ut agnus innocentem, sive primò ac immediate, ut homo hominem, sive remotè ac mediatè, ut equus Bucephalum, sive formaliter, ut nigrum nigredinem, album albedinem, sive connotativè, [quod materialiter dicitur,] ut Orator Demosthenem. Per acceptationem verò intelligit usum nominis generaliter accepti pro qua-

Sotii.

cunque re, quam quomodocunque significat. Sotius b) suppositionem, ait, esse acceptationem vocis pro aliquo respondente illi secundum eandem acceptationem, per acceptationem putat,

Toleti.

Mendozæ c) eum intellexisse substitutionem. Toletus, d) ne suppositionem materiale excludat, cum voces etiam pro se ipsis supponuntur, ut: curro est verbum, definit eam, quod sit usus termini pro se vel pro suo significato.

a) Institut. Dialect. lib. 8. p. 561. de suppos. c. 20.

b) 2. part. introduct. c. 1. lect. 1. & notabil. i. Mendozæ Summul. disputat. II. de term. propriet. sect. I. p. 22. de suppos. §. 3.

c) citatō loco p. 24. §. 3.

d) lib. 2. c. 1. Mendozæ Summul. disputat. II. de term. propriet. sect. I. p. 24 de suppos. §. 4.

§. XVI.